



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Gvillelmi Postelli De Repvblica

Postel, Guillaume

Lvgdvni Batavorvm, 1635

Cap. XXII. De polemarcho Tribuno militum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65533)

huiusmodi audire solebat, quifque teneretur earum nomine, iudicio declarare. Qui ille erat sacrorum Princeps, de vocabulo quo illum honoris ergo Athenæ donarent, deque cæteris sacrarum rerum curatoribus, pariter de ludis, festis, & huiusmodi, plura hoc in loco scripseram, quæ etiam ipsa commodius in suum ordinem opere peculiari servare visum est.

CAP. XXII.

De Polemarcho Tribuno militum.

Τὸν δὲ δὲ χόντων τρίτον ἢ πολέμαρχος, Principū tertius erat polemarchus: qui quo vocabulo melius Latine dici possit etiam officii explicatio planum faciet. Præerat primum Dianæ & Martis Enyalii sacris, ob eam rem,

ATHENIENSIVM. 177

rem, quod hi potissimum rebus
 bellicis præire crederentur: quod
 Homeri epithetis appositis
 expositum reliquit, dum illam
ιοχίαιραν, hoc est, telis gauden-
 tem, hunc *ἀλλοπρόσαλλον, μισοφό-
 νον, τεχνοσιπλήτην*, id est, incon-
 stantem, homicidam, murorum,
 urbiumque everforem vocat.
 Certamina etiam *ἐπιταφικά*, or-
 nari, & disponi curabat polemarchus.
 Erat olim præclarus Atheni-
 ensibus mos, ut quotquot in
 bello pro patria fortiter occu-
 buissent, eos in diario adscriptos,
 nominum, & rerum ab illis præ-
 clare gestarum crebra recitatio-
 ne, celebratione, & gloria, præ-
 sente universorum civium coro-
 na post tam foelicem mortem lu-
 dis, & celebritate publica cele-
 brarent, certaminaque à iuven-
 tute fierent, quæ dicerentur *ἐπι-
 ταφικά*, id est, sepulchralia, in
 quibus ipsi iuvenes gloriae cupi-
 M dita-

ditate ad rem bellicam, mortis contemptum, amorem Reipubl. usque adeo beneficiorum in se memoris inflammarentur. Quãvis enim virtutis præmium vir bonus in conscientia, minus perfectus in gloria ponit, tamen verum est & illud Sili,

Nec reperire licet multis è milibus unum,

Virtutem precium qui putet esse suum.

Qui itaque gloriam è rebus humanis tollit, is virtuti alas præcipuas adimere videtur. Tribus enim illa rebus potissimum alitur: unica gloria in magnis viris, cui præmium accedit: in tenuioribus, & quos non usque adeo incitat, formido, & præsens pœna illam in improbis inserit: qui non raro inde habitum, facultatemque ad duo prima sibi comparant, ut iam scilicet non inepti,

inepti, præmio digni sint: quo
 eveci, in gloriæ cupiditatem,
 quæ illos in virtute retinet, tran-
 seunt. Præscribi præterea à Po-
 lemarcho solebant cantilenæ, &
 versus quidam in laudem de-
 functorum, & virtutis: qui ipsis
 iuvenibus decantandi in ludis
 publicis dabantur. Qui ordi-
 nem in bello reliquissent, qui im-
 minente periculo fugissent (quæ
 crimina *λειποταξίς*, & *ἀποστασίς*
 vocant) eos ad senatū Ariopagi-
 ticum defererebat condemnandos.
 Singulis tribubus manubiaram
 partes dare: inquilinos qui sine
 census persolutione, aut vade
 Athenis agerent, multare: ius in-
 quilinis, & *ισοπέλασι*, id est, po-
 pulis fundis, civitateque donatis
 dicere: legatis prospicere: in sum-
 ma rei militaris, & inquilinorum
 omnia tractare, terminareque
 consueverat. Scribunt non pau-
 ci authores & urbis claves ad

180 DE REPUBLICA
eum deferri noctu solitas, portarumque custodiam tradi : quod munus in liberis Galliae civitatibus illorum est quos vulgo Maiores vocant. Verum quia is rei militaris summam habuit, volo hoc in loco caeteros belli Duces attingere.

C A P. XXIII.

De militaribus officiis.

SUBERANT *πολεμάρχω* duo *ἑπταρχοι* equitum magistri, ut refert Harpocracion Aristotelem in Atheniensium politia scriptum reliquisse : quibus non tantum equestris ordo, sed universus quo in loco erant pareret exercitus necesse erat : alioquin animadvertere in facinorosos, imperiumque detrectantes statim licebat. Curabant praeterea ne quis ab ordine, aut à Duce se-